

Chrysof.

fignum facile illi indare vales. Et cum audisset, ait Chrysofomus, Agnum a Ioanne, pagorem ab Isaia, basinat Sponsa, dicens ac semetipsum, Cui credam? Cum anima sancta audisset ab Isaia esse pastorem, a Ioanne Agnum, hasitat Sponsa, Quomodo suum dilectum perquirere queat; nulla enim maior, quam inter pastorem, & agnum differentia: Pastor pascit, agnus vero pascitur. Respondet S. Doctor. Vider Dominus, quoniam dubitat, & clamat, Ego sum pastor bonus, & vno sermone soluit omnem hasitationem eius. Facile, d Sponsa, tuum dilectum reperire vales: simul agnus, & pastor est; non tamen eodem tempore, & loco, sed pro vt occasio, ac temporis circumstantia exigit. Vt humiles beneuole excipiat, agnus est. Vt vero peccatotes deperditos, ac deuios a via salutis exquirat, tanquam pastor se habet, qui imponens eos humeris suis reducit ad gregem.

Accommodandum tempore, & loco.

QUESTIO III.

Quare Christus non precipit, sed libera voluntati relinquit, vt post eum veniamus, eumque sequamur?

15. Chrysof.

RESPONDET PRIMò D. Chrysofomus homil. 56. Perdende, quaso, Quomodo nullo pacto cogit oratio: non enim dixit, oportet illos pati, vellet, nollet. Sed quid? Si quis, ait, post me venire vult, non impello, non urgeo, sed liberam singulorum voluntatem efficiens, dico, Si quis vult. Et paulo post. His dictis, ait, vehementius eos attrahit: nam sicut qui vim infert, plerumque auertit, sic qui liberos audientes constituit, multo magis attrahit: potentior enim est oratio mitis, quam violenta. Non cogit, non compellit, sed inuitat, liberam vniuscuiusque voluntatem relinquens, Liberam singulorum voluntatem efficiens. Deinde quia sepe efficacius trahitur a potente bona indoles, cum suae electioni relinquitur, quam mandato compellitur: nam ipsa vis frequenter auertit voluntatem, quam suavis vrbantia imperantis inclinat, & allicit. Hinc Christus non imperat, sed rogat Petrum, pusillum reducere nauim Luc. 5. num. 3.

Efficacius trahitur bona indoles voluntate, quam precepto.

Luc. 5.

16. Chrysof.

Secundò Idem Chrysof. citatus sic pergit. Non ad afflictiones, & onera, nec ad supplicia, & penas, vt cogere mihi opus sit, sed ad ineffabilia bona conuoc; quorum ea natura est, vt facile per se ipsam vos inuitare possit. Et post pauca subdit. Non enim si quis aurum, atque argentum proponeret, vim inferreret; quanto igitur magis in caelestibus bonis inferenda non est. Ad crucem, & labores videbantur cogendi: hoc Christus non fecit, sed solum inuitat, Si quis vult. Adeo gloriola est crux, adeoque gloriosus labor, vt ipsa eorum natura pro singulari munere, ac beneficio habeatur, vt per se sit sufficiens ad magnos animos alliciendos. Ioannes Xiphilinus, Antistes Constantinopolitanus Orat. de festo Crucis apud Costerum. Ad bona enim uoco, ait, non ad mala, non ad poenam, vt etiam cogere oporteat, siquidem ipsa natura rei potens est attrahere.

Crux, & labor per se attrahunt.

Xiphilina.

17. S. Valerian.

Tertiò S. Valerianus de bono martyrij. Qui, ait, de corporis sui fragilitate desperat, ad arma iustitia confugiat, qua voluntario deputatur officio. Facile autem superuenientis mortis impetum sustinet, quem ad pugnam voluntas armauerit: nec expanescit cruenti hictoris gladium, quem munus virtus animarum.

Non precipit, non coarctat Christus, voluntarios milites quærit: vocat enim ad crucem, mortem, & labores, indeque liberos athletas comparare vult. Constrictus, vel labor susceptus rigorem minuit, facilitatem præbet, magnumque consolationis adiuuamen in asperitatibus confert; ipsa enim voluntas optauit, ac elegit. Vnde inquit Chrysofomus in initio quæstionis datus. Nam sicut, qui vim infert, plerumque auertit, sic, qui liberos audientes constituit, multo magis attrahit. Non precipit, sed voluntatem exquirat. Si quis vult: nam coactione sepe retardatur, ac impeditur voluntas, quæ libertate allicitur, & mouetur. Apce D. Chrysofologus serm. 135. ait Quis est, qui timeat volens? Quis est, qui amet nolens?

Labor voluntarie susceptus, facile suscipitur.

Chrysof.

Quartò Victor Antiochenus in cap. 8. Marci. Sed quomodo, inquit, Si quis vult me sequi? Quasi dicat, ad bona, & honesta prouoco, non ad mala, & odiosa: nec quemquam huc compello, sed amice tantum inuito. Hæc autem dicens, magis attrahit. Qui enim vim affert, decorum non seruat. Qui autem adiutori libertatem facit, validius allicit. Delinitio enim, & obsequium, quavis violentia fortiora sunt. Mandato non obligat, nec precepto astringit, sed voluntati vniuscuiusque committit, Si quis vult; Vt suorum Discipulorum præclara indoles demonstraretur, qui libertate sua velocius fuerunt in currendo, quam si distincte iubentis imposita esset necessitas. Præclara est famulorum generositas, a Domino non compelli, sed eius agnita voluntate cuncta per se, & adimplere Qui vim affert, decorum non seruat.

18. Chrysof. Victor Antiochenus.

Generosi famuli a Domino non compelluntur.

Cum Deus legatum missurus esset ad populum, ac loqueretur cum Isaia 6. num. 8. dicit, Quem mittam? & quis ibit nobis? Quid est, quod vniuersi Dominus interrogat, Quem mittam? non enim ei ministrant decies centena millia Angelorum, & fetuorum eius non est numerus? nonne optime ipse sciebat, qui mittendus esset? ad quid interrogat: Destinandus erat seruus ad laboriosam legationem, ad populumque rebellem, duræque cernicis, in quo Dei legati alij sceti sunt, alij lapidati, alij in ore gladij occisi, alij siti, fame, ac frigore vexati; ad hæc tanta vult Dominus, vt generositas sui famuli patefiat, qui, non cogente Domino, pro eius honore, amoris impulsu, tot, & tam ardua sponte aggrediatur, ad illamque se mittendum libenter offerat, dicens, Ecce ego, mitte me. D. Hieronymus ibi. Propterea, ait, non dicit Dominus, quem ire precipiat, sed proponit audientibus, vt voluntas præmium consequatur. Quintò quamuis Christus sit supremus Dominus, neminem disponit potentia sua cogere, sed benignè libera voluntate vnum quemque allicit, ac attrahit. Ideo ait: Si quis vult venire post me.

19. Isai. 6.

Magnus seruus sponte pro Domino in difficultates stat.

Hieron.

10. Toletus.

Sextò Vt notat Toletus in cap. 9. Luc. annot. 56. Quod consideratio eorum: que Christus Dominus pro nobis gessit, ac passus est debeat omnes nos post se trahere sponte, ac absque ulla coactione, etiam non habita ratione promissorum bonorum. Atque hæc causa insinuat post me. Aci dicat, quod Dominus nec precepto cogit, nec promisso præmio exhortatur. Vnde ergo excitanda voluntas, vt sui abnegationes, cruces, ac labores amplectatur? Ad hæc efficacissima ratio apponitur in illo, Sequatur me. Quis enim consideret omnia quæ pro nobis Christus Dominus gessit, ac passus est, & ad eorum intuitum omnes mundi fallacias, & illecebras non abiciat, omnemque laborem pro Deo libentissimè amplectatur?

Christi exemplum efficacius ad trahendum.

Filij

21. Psal. 4. August.

Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & queritis mandacium: Psal. 4. num. 3. Ad quæ verba eleganter D. Augustinus: Saltem vsque ad aduentum, inquit, filij Dei error vester durauerit. Quid ultra graues corde estis? Quando habituri finem fallaciarum, si veritatem presentem habetis? Aci diceret, durauit fallacia, ac error in mundo vsque ad Christi aduentum: at cum iam apparuerit humanitas Dei Saluatoris nostri tanta paupertate, humilitate, ac laborum patientia, antiquam hominis memoriam dampnans; iam nulla in nobis imago mundi appareat, sed omnis abigatur error, in nobisque diuini principis, ad quam conformemur, sit tantum similitudo.

Postquam Christus apparuit, iam in mundo nulla sic vanitas.

22.

Septimò. Nec ponit Dominus præceptum, nec præmio exhortatur; sed tantum putam libertatem ad tantas rerù difficultates quærit. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. Quo ergo ad tam arduas actiones propriæ abnegationis, & crucis trahatur? Ipsa nempe rerù difficultate disponebat, vt sui tanquam generosi milites ei adhererent. Solum ergo rerum difficultates illi aperit. Maximè probatur militum nobilitas, ac robor ad durum bellum aggrediendum, cum ipsa rerum difficultate non supprimitur, sed potius illa mouetur, ac attrahitur.

Generosi labor ipse mouet.

23. Psal. 77. Osee 10.

Tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda. Psal. 77. n. 67. Cur potius Iudas quam Ephraim ad regimen, regnumque vocatur? Ait Osee 10. num. 11. Ephraim virula docta diligere tritiram: arabit Iudas. Ephraim, vt explicat Vatablus, maualt triturare, quam arare; idest maualt comedere triticum, quam laborare. Vnde est Ephraim instar vitulæ saginæ, pinguis. At Iudas arabit, phraim est Hebræa, & significat operari, laborare. Ecce cur elegit tribum Iuda, & non Ephraim: nam Ephraim maualt commoditates in area; at Iudas, his omisissis, solum laboribus intentus est, ad hos sponte volat. Optimus est ergo ad regnum, cum non vilitate præmij, sed asperitate laboris moueatur. D. Hieronymus: Ephraim vt vacca lasciuens laborare non vult: Iudas arabit sponte sua, & roborabitur sibi. Inde sibi habet robor ad magna, & alta, quia sponte se labori submittit, ipsamet eorum difficultate allectus.

Vatabl.

Generosi non premio, sed labore mouentur.

Hieron.

QUESTIO IV.

Quare Christus Dominus vocat ad veniendum, cum Sponsa exhortetur ad currendum?

24. Chrysof.

IN limine huius quæstionis aduertam id, quod præclare notauit D. Chrysofomus homil. 56. Quod Christus Dominus dixit: Si quis vult venire post me. Non enim dixit, si quis vult stare, quia regnum caelorum, non stantibus, & otiosis conceditur, sed ambulantibus, gradietibus, & proficientibus, ac tendentibus ad ea, quæ anteriora, & perfectiora sunt. De quo multa aliis locis dixi. Præsens verò quæstio inquirat: Quomodo Christus Dominus totius perfectionis magister solum mandata post se ire: Si quis vult venire post me: & tamen Sponsa non contenta est venire, sed ad currendum sodales suas exhortatur: Trabe me post te, & curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. num. 4.

Regnum non conceditur stantibus, sed laborantibus.

Cantic. 1.

Ad quæstionem Respondeo ex his, quæ docet Theodoretus ad ciratum Canticozum locum. Anima strenua, inquit, amore tuo Deus, sic incensa sunt, vt cursu id fecerint, ne relinquerentur, neve sciungerentur a dilecto suo. Christus Dominus optimus magister, omnium imbecillitati condescendens, vocans ad se omnes, non ad currendam, sed veniendum eos exhortatur. At animæ strenuæ, amore Dei incensæ, de sua salute maximè sollicitæ, determinant post Iesum ire, eumque sequi, non ambulatione, sed cursu; ait enim, Cursu id faciunt, ne relinquerentur, neve sciungerentur a dilecto: hoc est non sunt contentæ Iesu adherere communibus, ac minimis virtutibus, sed id faciunt summis: & excellentioribus, vt ipsas adimplentes securæ teneant Iesum, quem per minima opera, facile amittere poterunt.

25. Theod.

Profecti, non minimis virtutibus, sed summis acquiescunt.

Ait Paul. ad Tit. 2. n. 14. quod Christus Dominus mundauit sibi populum sectatorem bonorum operum. Græcus, vt etiam habet D. Hieron. Ambrosius, & August. legit, amulatorem. Quid est, quod Christus sibi mundauit populum amulatorem? Qui enim æmulatione aguntur, non vulgaribus, ac communibus operibus acquiescunt, sed semper maiora, ac sublimiora intendunt: talem igitur populum Christus sibi mundauit, & Paulus desiderat, vt in suis factis habeat quandam vehementiam, & ingens studium, cum quadam veluti superabundantia, ne fortè aliqua subreperit incuria. D. Chrysofomus ibi: Vides, inquit, vt non simpliciter a nobis opera virtutis exigantur: addidit nempe sectatorem, hoc est magna cum alacritate, atque ingenti studio, & animo virtutis operæ capefcentem, qua in re vehementia quadam adstet necesse est omnino laudabilis.

26. Ad Titum. Græcus. Hieron. Ambros. August.

Magna uehementia sibi virtutum intendamus.

Laodicensis Præsul tepidus in virtute, vt explicant Alcasar, & Cornelius a Lapide, quia minutis quidem virtutem operibus contentus erat, purioris, ac perfectioris vitæ studium negligebat. Et quia multum de virtutibus gloriabatur, dicitur ei Apocal. 3. num. 17. Quia dicitis, quod diues sum, & locupletatus, & nullius ego: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, suadeo tibi, emere a me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias. Vnde iste tepidus se reputat diuitem, & locupletem, cum aliis sit pauper, & miser, ac miserabilis. Ratio iam est assignata ex Alcasar, quam tradidit Ansbertus: Idcirco nullius egere se dicit, quia rectè credens, mala cauet, & mala canens, nonnullis bonis insistit. Quibusdam paruis operibus, ac minutis virtutum factis, quibus acquiescebat, se putat diuitem, & locupletem, & inde non locuples, sed pauper, & nudus erat: Parua, ac tenui negociatione nullus fit diues, sed qualibet minuta tempestate, ac aduersitate, omnium iacturam facit, pauperrimusque euadit. Ideo ei dicitur ab Angelo: Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum: hoc est prima, & excellentissima Charitatis opera, vt commentantur Richardus, Beda, Ansbertus. Qui enim mediis virtutibus tepidus est, & perfectionis viam contemnit, se facile propriis concupiscentiis permittit, & quæuis peccata deuorat, vt ait Alcasar; & inde miser, & miserabilis. Vt ergo locuples fiat, summis virtutibus intendat, quarum suppellectili maximè ditabitur.

27. Alcasar. Cornelius.

Apocal. 3.

Ansbertus.

Quæ minimis negociatur, diues non fit.

Commendat Sapiens Ecclesiastes 7. num. 17. Noli esse iustus multum. Quid est, quod cum iustitia maximè commendetur, tamen distinctè præcipit, vt non sis multum iustus: hoc est, ne tam tolli

28. Eccl. 7.

sollicitus sis de fernando iure, vt nescias, vltra debitum, aliquid iuxta prudentiam regulas exhibere: imò semper rigorosi debiti terminos per præclara opera extende. D. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 13. Noli, inquit, ius tuum seuerè, ac rigidè persequi, verum per bonitatem exaspera. Illiberaliter, ac sordide cum discrimine viuunt, qui solum student, ius suum non frangere, sed in illo tantum se continere: inde sæpè contingit, vt extra stricti iuris metas transuagetur. Ille verò securus degit, qui totus incumbit, debita cum magno operis additamento superare; nam si aliquando ab ipso apice decidit, in ipsius iuris terminis persistit.

Pelusiota.

Vltra trapezum addendum.

Ad Titum 2. Abulens. Aristotel.

Chrysof.

Quid dicat abnegare.

30. Quid significet abnegare seipsum?

31. Basilus.

Potentia nostra abneganda.

Ad Galat. 5.

Qua mundi obliuiscatur.

QUESTIO V.

Quid est abnegare seipsum? & quomodo hoc fiat?

Abnegare proprie significat repellere, repudiare, Abnegantes impietatem, & carnalia desideria. Ad Titum 2. num. 2. Abulens quæst. 117. vult ex Aristotele 8. Ethic. cap. vlt, quòd abnegare est, quando quis negat, se quidquam alteri debere. Illum quippe, ait, abnegamus, cui profitemur, nos nihil debere. Aduertendum est ex Chrysofotomo homil. 56. in Matth. quòd plus habet emphaseos hoc verbum compositum abnegare, quam simplex negare; supra hoc addit compositum omnino seu totaliter; abnegat, id est omnino negat, totaliter non norit.

Abneget semetipsum, hoc est suos affectus, suos appetitus, sua desideria, suamque voluntatem, suamque humanam rationem, & omne, quod in homine carnali viuunt, & vegetat; qui vult post Christum venire, omnino, ac totaliter amputet, deponat, ac abiciat; omniatque hæc submittat, ac conformet diuinæ voluntati, itaut in homine non sit mundanus appetitus, sed tantum in eo regnet diuina voluntas, à qua ducitur, & regitur; in eoque nullus sit affectus, ac amor mundi, sed tantum solius Dei. Amor enim in mundum, & Deum diuisus ipsi Domino displicet, in eoque omnis affectus noster collocandus est, atque firmandus. Quod confirmatur ex Patrum sententiis.

Primò D. Basilus In regulis fusius explicatis ad Interrog. 6. Abnegatio sui, inquit, nihil est aliud, nisi summa rerum omnium superioris vite obliuio, atque à sui ipsius voluntatibus recessio. Quæ descriptio duas habet partes. Prima, Obliuio superioris vitæ, non quòd omnino excidat à memoria, sed quòd ita à memoria deleatur, vt illam minimè diligamus. Secunda pars, Vt ab omni voluntate, affectu, & desiderio, quæ ad illicita nos compellunt, recedamus, eis resistentes, contradicentes, ac mentis consensum auercentes. De hac abnegatione loquitur Paulus ad Galat. 5. n. 18. postquam dixerat, Caro concupiscit aduersus spiritum, subdit num. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Carnem suam, id est suam naturam, suam voluntatem vitiis deprauatam, vt interpretatur D. Augustinus. Ille ergo perfecte se abnegat, qui suum intellectum rebus mundanis abnegat, vt super illas morosè discutat, qui suam voluntatem, vt eas diligit; qui & suam memoriam, vt de illis recordetur, aut mente teneat. Mortuo Holopherne,

Iudith vniuersa vasa Holopherne, qua dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuioni. Iudith. 16. num. 23. Cum enim essent spolia mundani hominis, turpiter diligentis, ipsa in perpetuam obliuionem sepelit, & consecrat. Dat Pharao populo facultatem ad sacrificandum in monte, vt remaneant tamen cuncti greges in Ægypto. Cui ait Moyses: Non remanebit ex eis vngula. Exod. 10. num. 26. Cum essent profecturi ex Ægypto in terram Promissionis, nec vngula patitur vt remaneat in Ægypto, quæ memoriam excitet, ac prouocet ipsis Ægypti, hoc est mundi.

Iudith. 16.

Exod. 10.

32. Chrysof.

Secundò D. Chrysofotomus homil. 58. in Matth. sic explicat. Si intelligis, ait, quid sit, alium abnegare, tunc rectè percipies, quid sit, abnegare se ipsum. Qui alium abnegauit, si cedit cum virgine videat; si coerceri vinculis, quidquid aliud mali pati cum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non fleclitur, nec prorsus vilo modo mouetur, seu ille, qui penitus ab eo alienatus est. Sic igitur nullo pacto corpori nostro parcere vult, vt neque si caditur, neque si pellitur, neque si uritur, neque si quid aliud huiusmodi patiatur, ei parcamus. Ex aliorum abnegatione bene intelligitur, quid sit se ipsum abnegare. Tunc enim alios abnegamus, quando eos contemnimus, deserimus, itaut nullam eorum habeamus rationem, aut curam; nec vilo eorum incommodo ad illis subueniendum mouemur. Similiter tunc nosmet ipsos abnegamus, cum nullam nostri gerimus rationem, nullòque nostro incommodo, ac cæde mouemur, sed vitam nostram, omniatque nostra pro Christo, cum opus est, contemnimus, ac si à nobis esseopus alieni. Idem Chrysofotomus serm. de Cruce. Hoc est enim se abnegare, id est nihil rei suam habere, atque eodem modo esse affectum, quasi quis alius putaretur. Victor Antiochenus in cap. 8. Marc. Non dixit ille, ne nimium sibi indulgeat, aut ne nimium carni sue parcat. Sed vehementius insurgens, abneget, vel abiuret semetipsum, hoc est nihil cum se ipso, vel sua carne commercij habeat, verum ita se gerat, ac si non ipse, sed alius quispiam crucem tolleret.

Homo sit à se veluti alienus, vt pro Christo vitam det.

Chrysof.

Vict. Antioch.

33. Hieronym.

Gregor. Faust.

Homo exeat à se, & fiat nouus homo, vt Christo adhareat.

Ad Colof. 3.

34. Pelusiota. Psalm. 4.

Tertiò D. Hieronymus. Qui deponit, inquit, veterem hominem cum operibus suis, abnegat semetipsum, dicens: Vno ego, iam non ego, vniuit vero in me Christus. Quod etiam post. D. Gregor. Papat homil. 32. docet Faustus Rhegiensis Galliarum Episcopus Epist. 2. ad Felicem. Vicem sibi, ait, factura est anima, vt ex alio alter factus homo, ad illam Domini præceptionem aptus inueniatur. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. Si quis ex iracundo patiens efficitur, continens ex luxurioso, &c. Totos nos negamus, quoties ad meliora conuertimus; & ideo vt ad hoc assurgamus, quod esse debemus, prius studeamus odisse, quod fuimus; oportet, vt hic prius mutetur ad vitam, quod illic mutari optat ad gloriam. Non ait Christus, vt homo abneget opes suas, sed abneget semetipsum, itaut homo exeat à se, & fiat à se alienus; imò & designat esse, quod erat, & incipiat esse, quod non erat, fiatque quasi nouus, & alter homo, vt ait Paulus ad Colloffens 3. num. 9. Expoliantes veterem hominem cum actibus suis. Quæ denudatio debet fieri cum detestatione ipsius antiqui hominis, vt ad præterita facta amplius non redeas, sed omnino ea odio habeas.

Ad hunc sensum explicat Isidorus Pelusiota Epist. 239. illud Psalmi 4. num. 5. Irascimini, & nolite peccare. Vt contra nosmet ipsos excandescere debeamus.

debeamus. Gladium Spiritus, inquit, assume, quo voluptuosa, & tortuosa trucidamus, & coram Deo immolemus, quasi abnegantes nostra, dum eadem, ac si aliena essent, tractamus. Irascimini, inquit, huic affectui, qui vobis molestus, ac infestus est, & non peccabitis, si vos fractos, & dissiutos inueniat, nullo negotio superabitis vos; si autem vigilantes, ipsiq; irascientes, quamprimum discedet. Ob eam enim causam nobis ira insita est, non vt turbidus motus, ac morbosus, verum vt vitiosarum affectionum medicina.

Irascimini, & bellum habeat homo contra vitia sua.

35.

Melius est bellum, quam pax iniqua.

36.

Quæ præclare sunt dicta. Irascatur homo, gladium assumat cõtra antiqui hominis facta, vimq; sibi faciat, vt Faustus dicit, ac sibi bellum intestinum moueat, vt antiqua sua vitia amputet, & se abiciat. Nil pace vtilius, nil vnione melius; at quando pax exitialis, & nocua est, multo melius bellum, quam talis pax. In præclaro innocentæ statu, quando summa vigeat tranquillitas inter potentias superiores, & inferiores, optima erat earum pax, & vnio, erant enim cuncta suo ordine bene consona, inferior appetitus superiori subiiciebatur, superiorque, cui imperiũ debebatur, imperabat. At verò modò in hoc miserrimo naturæ lapsu statu, in quo totus inuertitur ordo, appetitus inferior rebellat contra superiorem, eique prædominari affectat. Pax, & tranquillitas inter has potentias valde præiudicialis extat, multòque ipsa melior est dissensio, & discordia, vt homo sibi vim faciat, huiusmodique pullulantes amputet affectus, eisque contradicat, & resistat, vt intonat vox Euangelica: Abneget semetipsum, cum illisque intestinum bellum gerat, ab eisque omnino recedat, vt ait D. Basilus citatus.

Cum Paulus, vincitus adductus esset in Concilio, in quo simul aderant Pharisei, & Sadducei, qui, licet in secta, & opinione diuisi, maximè tamen in perniciem, & mortem Paulo inferendam erant vniti. Quod cum Apostolus bene agnosceret, habita dicendi facultate, exorsus est sermonem, dicens: Viri fratres, ego Phariseus sum, filius Phariseorum, de spe, & resurrectione mortuorum ego iudico. & cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Phariseos, & Sadduceos, & soluta est multitudo. Act. 23. n. 7. Nã Sadducei dicebant, male locutũ fuisse Paulũ, cum ipsi resurrectionem negarent. E cõtra verò Pharisei, qui immortalitatem animæ credebant, pro verbis Apostoli pugnant. Et ita facta est dissensio magna inter eos Paulus autem, vt est constans interpretum sententia, Bedæ, Iyrani, Caietani, Lorini, Cornelij, hunc sermonem habuit, vt inter Phariseos, & Sadduceos, qui in necem eius conspirauerant, discordiam sereret, vt inter se disputantes, & contententes ipse viuus euaderet. Quomodo Doctor Gentium, Apostolus Christi, qui dicitur princeps pacis, & dicebat Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Ioan. 14. num. 27. dissensiones, & discordias seminat? Erant enim dissensiones, inter homines deprauatos, Sadduceos scilicet, & Phariseos, qui coadunabantur in damnum totius Ecclesiæ, vt Paulum immatura morte è medio tollerent. Et talem vnionem dissecare, ac diiungere, præclarum Deo obsequium, & magnum totius Orbis bonum. Eleganter Beda ad eundem Actorum locum. Sicut vnitas, ait, bonorum semper est vtilis, sic malorum vnitas semper est bonis noxia. Vnde nunc Apostolus persecutores suos dissociare satagit, vt quem vniti cinxerant, diuisi laxarent. Perpende vltima verba Diuidatur iniquitatum cœtus, vt quem vniti cinxerant, diuisi laxarent.

Act. 23.

Ioan. 14.

Iniquam vnionem dissecare, magnum Deo obsequium.

Beda.

Pergit eleganter citatus Beda. Sic mare rubrum, quod solidum filios Israel arctauerat, diuisum ab Ægypto liberauit. Dum aquæ maris rubri, per quas mundiales delicia, ac appetitus communitè significantur, sunt vnitæ, Israelem coarctant, & impellunt in Ægyptum: cum verò diuiduntur, tunc Israel liberatur ab Ægypto, hoc est ab omni vitiorum inquinamento, & spurcicia, per Ægyptum denotata. Diuisio ergo aliquando bona, cum nos separat à malis.

37. Beda.

Diuisio ali-quando bona.

38.

De Simone, & Leui inquit Iacob, eos benedicens, Maledictus furor eorum, quia perimant, & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, dispergam eos in Israel. Gen. 49. num. 7. Quæstionem facit Origenes. Ad quid S. Patriarcha geminat voces diuidam, & dispergam, cum vtraque hic iniquorum eundem habeat significatum. Inculcatur diuisio. Quia consultus est reipublice, vt qui in ea facile ad malũ sociantur, in ea diuidantur. Sed adhuc instat difficultas. Ad quid illæ voces diuidam, dispergam repetuntur? Multiplicantur huiusmodi voces, vt tu multiplicare discas diuisiõne quasi quod ab iniquis vna diuisio non sufficiat, sed multiplex desideretur. Et dicitur. In Iacob, & in Israel. Et cum eandem personam denotent hæc nomina, vt diuersa repetuntur. Iacob, id est supplanter Gen. 27. num. 36. Israel autem, id est fortis Gen. 32. num. 28. Vt diuisio ab iniquis fiat cum luctamine, & fortitudine, cum lucta, vt prosterantur in terra, & cum tanta fortitudine, vt inde amplius non redeant, neque resurgant.

Gen. 49.

Oleaster.

Ab iniquis diuisio multiplex cum lucta, & fortitudine.

Gen. 27. Gen. 32.

QUESTIO VI.

Quid sit tollere crucem? Et quare portari mandatur?

CRUX dicitur à cruciati, vt aduertit Christianus Grammaticus, & olim significabat lignum, in quo malefactores affigebantur. In præfenti autem cum mandatur, vt vnusquisque tollat crucem, non sumitur Crux pressè pro ligno, seu patibulo, vt ex D. Gregorio notat Abulens, quæst. 181 non mandat, vt imponat trabem super humeros Sed accipitur latius, & per metaphoram.

39. Christianus. Quid significet Crux?

Gregor. Abulens.

40.

Tollere crucem, significat, quòd vnusquisque patienter sustineat omne detrimentum, persecutione, ac tribulatione, quæ ex virtute amplectenda, ac via Christi sequenda proueniunt. De hac cruce dicitur 2. Timoth. 3. num. 12. Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Act. 14. num. 21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Hac autem tribulationis crux, non pro tempore determinato, ferenda est, sed per omne tempus, hanc enim perpetuitatem indicat verbum indefinitum apud D. Lucam, Tollat crucem suam quotidie. Vel Crux quotidie ferri præcipitur, vt tali spiritu quotidie feratur, ac si tunc primo portanda acciperetur.

2. Timoth. 3.

Act. 14. Crux, id est tribulatio quotidie ferenda.

41.

Hæc autem Crux non est in singulis, sed diuersa rationis iuxta altum Dei Consilium. In aliquibus est dira tyrannorum persecutio, & martyrium vsque ad mortem turpissimam, vt ponderat D. Chrysofotomus homil. 56. Secundò. In aliis est immissa à Deo afflictio, & tribulatio, verbi gratia, morbus, ignominia; iactura rei. Tertio. Est etiam Dæmonis tentatio à Deo permessa ad nostram

Chrysof.